

horsum se capessit Vincentius ille, quocum magna iam inde tot annis fuit familiaritas? Unde erutus est qui tam diu in tenebris latuit? Venerit ne gratulandi causa ob diem meum nominalem? Novum profecto antiquae necessitudinis et amplissimum praebuerit testimonium.

VINCENTHUS revera est, qui ante fores clamitat: Est ne intus Hippolytus, amicus meus?

HIPP. — (*ei occurrens*): Accedat et salvus sit Vincentius, nobis acceptissimus! Quid tu istuc insolens?

VINC. — Volupe fuit iam post bienium te convenire.

HIPP. — Bene factum te advenisse, et adeo, quod maximum est, validum atque firmum.

VINC. — Verebar ne foris esses. Euge, amplexu tuo me comprehendas.

HIPP. — Quinimo circumPLICABO. (*Certant invicem complexibus*). Quae ventorum flabra te huc subvexerunt?

VINC. — Quid processerim huc et quid mihi voluerim dicam. Num credis ex kalendario meo oblitteratum fuisse diem vigesimam secundam mensis Augusti esse beato Hippolyto sacram? Superis gratias ago modum mihi dedisse adeundi te, cui ostenderem illum ipsum semper amicum amico esse.

HIPP. — Satis iamdi spectata erga me amicitia erat tua; nunc tutissime exhibes amicum mihi in germanum modum. Optime quidem et pulcre; tantaque fidei pares gratias vix agere possum. Dicas nunc quid agas et quomodo valeas.

VINC. — Sic ut quimus, quando ut volumus non licet. Egregie, nempe, nihil; atque tamen omnia mediocriter. Apud te vero, ut facies commonstrat, rectissime omnia.

HIPP. — Corpus vere solidum et suci plenum, pancratice atque athletice valet; neque cor dolet quum scio nunc ut sum atque ut fui.

VINC. — Sexaginta iam annos natus?

HIPP. — Scilicet, viginti annos natus. Ego enim hoc temporis spatium nunquam exsuperavi; sed honoris gratia, congerminavi ac trigeminavi. Ah! ah! ah!

VINC. — Ergo aetas senilis non mala merx tibi.

HIPP. — Quinimo optima. Quamquam negare non possum interdum me laborare...

VINC. — Epiphora ne?

HIPP. — Vah!

VINC. — Dyspnoea?

HIPP. — Fi!

VINC. — Ecquo morbo igitur?

HIPP. — Ciborum cruditate!

VINC. — Per Tyrinthium, non tu es, qui angas te animi!.. Oho, pervenit ne ad aures tuas uxorem meam esse mortuam?

HIPP. — Diespiter! Idem et meae contigit.

VINC. — Veron? Ecquando?

HIPP. — Abhinc circiter menses duodeviginti.

VINC. — Mirum! Tantundem temporis est ex quo et ego in viduitate dego.

HIPP. — Ridiculum profecto caput! Mulieres illae videntur tempus et locum coeundi inter se condixisse! Ah! ah! ah!

VINC. — Certe! Certe! (*Et ipse tollit cachinnos*).

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☈ ☈

Sociis et Lectoribus

Commentarii nostri humanissimis.

Natalis Domini, itemque novi anni, diebus adventantibus, eo maiore animi ripacis omnia robis offerimus, o Socii et Lectores, quo magis humano generi omni, plus minusve immanis belli furore exagitato, eam tam necessariam quisque nostrum vestrumque in pectore sentimus. Felix igitur illud nuntium, quod e caelis, quum Redemptor in terris natus est, hominibus fuit allatum, resonet iterum, intimiusque corda feriat, redditque, iis maxime quorum debitum est, bonam illam voluntatem, unde imperium Dei, hoc est charitatis atque humanitatis, Universo restituatur; unde oculis detur ac menti non amplius lutum et sanguinem, sed astra, ad quae nata sunt, suspicere. Huic divinae et augustae paci, a qua Iustitia disiungi non poterit, vultum servabit fortuna serenum, bonaque omnia ac fausta adiiciuntur, quae vobis nobisque enixe adpreciamur.

Quae sint proposita et consilia nostra, ut quod opus cum magna fide et alacritate suscepimus, id inconcusse ulterius exsequamur, in proximo fasciculo, qui anni tertii primus nobis erit, aperiemus. Unum vero iam inde hodie iterum iterumque repetimus, favorem vestrum, o Socii et Lectores, quo tantum fulti, vel extrema, si opus fuerit, erecto fortique animo adgredi nobis licebit. Cuius quidem gratiae erit testimonium non solum adhaesio vestra continua, sed etiam sollicitudo, per quam ad societatem nostram et alii a vobis trahantur; quemadmodum accessuros eos esse confidimus, qui specimen commentarii nostri recens acceperunt. Quorum in mentem revocare iuvat, subnotationem extraordinariam pro novis subnotatoribus ea ratione fuisse condictam, ut tum ALMAM ROMAM ipsi habituri sint a mense Novembri MCMXV ad Decembrem MCMXVI immutato annuae consociationis pretio, quod par est Italici libellis 9, si in Italia; 12, si apud exteras gentes; tum integra commentarii nostri

collectio, scilicet a mense Maio MCMXIV ad expletum usque annum MCMXVI, iis deferatur, solutis libell. 22, si in Italia; libell. 28, si extra. Mandata vero circa extraordinarias has conditiones recto tramite committenda omnino sunt ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI Equitem torquatum, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

Valete interim omnes, et vosmet rebus servate secundis!

ALMA ROMA.

De studio neutrarum partium in bello

Dum late per orbem terra madet sanguine partesque alia in aliam omni vi, et interdum fere et immaniter, de principatu contendunt, non erit abs re, puto, de officiis nationum earum aliquid dicere, quae, medias sese gerentes, studio neutrarum partium moventur; eoque magis hisce diebus id opportunum censui, quum de finibus eiusmodi « neutralitatis » — (sit venia verbo quod usus docuit) — vehementer hinc inde disceptatur. Alienus ipse, liberae Americae incola cultusque humanitatis summus amator, a partium studio, ea adducam principia, quae generalia et explorata sic videantur, ut in iis certa insit iudicandi atque adsentendi nota.

*

Teneamus igitur imprimis studium neutrarum partium, sive « neutralitatis statum », bifarium dividi posse, proprium atque impro prium.

Proprium est quum populus, stans in medio duorum aut plurium bellantium, pollicetur se a finitimarum controversiis prorsus abstinere. Neutrum hoc genus — cum Chochiero dicemus — (1) ab iis coiri solet, qui inter medios hostium fines positi, ab utrisque tuti sunt. Quum

igitur ab ipso intermedii populi animo tantum status ipse proveniat, non quidem per « pactum synallagmaticum » notificari solet, sed per declarationem auctoritate publica factam et in vulgus communiter editam.

Neutralitatis impropus status tum accedit, quum civitas paciscitur fore ut finitimarum controversiae certis in casibus vel medium quandam cursum ipsa teneat, vel particeps fiat, vel denique de mutua pace sive de mutua contra alios populos defensione conveniat. Huiusmodi ratio ex bilateralis stipulatione profecta, « foedus mixtum », nonnunquam infensum, constituit, quod « neutralitas armata » usitate nuncupatur.

Fuit hic status neutralitatis impropus antiquissimo in more, siquidem in ipsis sacris libris eum videmus.

In *Genesis* enim cap. II (n. 22 sq.) de Abimelech et Abraham legitur: « Eodem tempore dixit Abimelech princeps exercitus eius ad Abraham: Deus tecum est in universis; iura ergo per Deum, ne noceas mihi et posteris meis, stirpique meae, sed iuxta misericordiam, quam feci tibi, facies mihi et terrae, in qua versatus es advena. Dixitque Abraham: Ego iurabo... Idecirco vocatus es locus Ber-sabee, quia ibi uteisque iuravit. Et inie- runt foedus... ».

Item in *Maccabaeorum libro* (c. VIII, v. 23 sq.): « Et hoc rescriptum est, quod rescriperunt in tabulis aereis, et

miserunt in Jerusalem, ut esset apud eos ibi memoriale pacis et societatis: Bene sit Romanis et genti Iudeorum in mari et terra in aeternum, gladiusque et hostis procul sit ab eis. Quod si institerit bellum romanis prius, aut omnibus sociis eorum, in omni dominatione eorum eis auxilium feret gens Iudeorum, prout tempus dictaverit corde pleno: et proeliantibus non dabunt, neque subministrabunt triticum, arma, pecuniam, naves, sicut placuit Romanis, et custodient mandata eorum, nihil ab eis accipientes; similiter autem, et si genti Iudeorum prius acciderit bellum, adiuvabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiserit: et adivantibus non dabitur triticum, etc. Secundum haec verba constituerunt Romani populo Iudeorum ». Cui quidem pacto allusit Iustinus (Lib. xxxvi, 3) scribens: « A Demetrio quum descivissent Iudei, amicitia Romanorum petita, primi omnium ex Orientalibus libertatem receperunt, facile tunc Romanis de alieno largientibus ».

*

Qui neutrarum partium sunt, nihil moliri debent quo validior fiat is, qui improbam foveat causam, aut qui iustum bellum gerens a consecutione iuris sui impediatur. Quod si iustitia causae inter belligerantes sit anceps, aequanimes et aequaliter officiosos sese exhibere poterunt in concedendo transitu, in suppeditanda annona et praebendo legionibus commeatum. Porro ut qui neutrarum partium sunt, omnem a se suspicionem favoris amoveant, optime egerint si alterutri exercitui paria humanitatis officia exhibeant; alioquin enim facile fieri potest, ut pro hostibus reputentur qui hostili exercitui receptum, hospitium,

commeatum aliave ad expeditionem conducentia prohibeant. Haec Hockirchenus (1) docuit de civitatibus quae proprie studium neutrarum partium sequuntur; quamquam nunc et a nonnullis ex memoratis officiis abstinere eas nonnunquam maluisse animadvertisimus.

At Grotius liberalior exstitit in ipso hospitio et mansione civibus concedendis ex bellanti populo in neutram civitatem immigrantibus; quae procul dubio non sine severo et maturo iudicio a gubernantibus largienda sunt, ad commodum, securitatem et salutem subditorum suorum tutanda. Ait enim (2): « Sed et perpetua habitatio iis qui sedibus suis expulsi receptum quaerunt deneganda non est externis, dummodo imperium quod constitutum est subeant ».

Ceterum publica disciplina ita, fere apud omnes populos, hanc rem nunc moderatur, ut magna non desit eaque opportuna circumspectio. Et iure quidem: quoslibet enim recipere peregrinos in civitatem non modo periculosum est, sed nec civitatis cuiusque conditio id admittit. Itaque non immerito addidisse nobis videtur Hockirchenus ille, quem supra memoravimus: « Hinc misericordia ita est temperanda, ut non ipsi cum aliis fiamus miserabiles, et probe considerari debet, an ea sit agri nostri fertilitas, ut commode eos habere possit: perpendi itidem convenit, an proba vel moribus improba, solers an ignara sit turba quae recipi postulat: ac demum an advenae ita distribui possint et locari, ut nullum civitati periculum immineat » (3).

Salus equidem populi et hic suprema

(1) *Ethica Christiana*, lib. II, c. VIII.

(2) *De iure belli et pacis*, lib. II, c. II, § 16.

(3) Op. cit., ibid.

lex esto; itaque non est dubium quin non solum liceat ut advena quisquam eiusdem civitatis in neutram civitatem sese recipiens tacitis custodiis observetur, sed si quid sive violati hospitii, sive cuiusvis generis maleficii admiserit, ad magistratus deferatur ac debita ratione poenas iuat.

**

Studium denique neutrarum partium, aptissimam civitatem significare videtur, quae in hostium suo tempore campum descendat, dirimat infestas acies, iras dirimat pacemque tandem restituat.

O utinam generosa haec pars pro dilacerata nobilissima Europa vestra patriae meae quam citissime contingat!

Chicagine.

T. C.

Natalis Dominici verbum

En adest dies Natalis Domini! Ad cor iam ipse gradum accelerat, et suaves memorias itemque dolores suscitat. Hic enim dies est omnino recordationum festum, sive tristium sive iucundarum; atque ab imo pectore imagines praeteritorum Natalium subitas vividasque in mentem revocat. Hoc facto hunc diem omnes amamus, studioque ardenter expectamus; novas enim et laetas in nobis memorias excitat, quasque in crastinum identidem revocare perlubet. Ne velis ergo vocem Natalis suppressimere, quae ultro compellat, atque ad ostium pulsat, veluti hospes in via, stans ad ianuam, vel inter impotentis gaudii clamores, vel inter lacrimas infandi doloris, quae perpetuo genas profundunt. Sinamus ergo, sinamus has temporis acti memorias nos alloqui, sinamus etiam lacrimas libere ex oculis effluere; ipsae enim nec turbare poter-

runt neque huiusce diei serenitatem continere. Nonne pulcrius splendescunt rosae matutino rore perfusae? Sinamus, vel hisce in gravissimis rei publicae temporibus, Natalem Domini nos verbo suo suaviter affari, neve eum interrogare et vexare liceat, neve eum dulcius enarrantem aut vanis verbis aut turbidis interrumpere. Ipse quidquid voluerit liberlime dicat, ut qui ex itinere divertit et quis sit enunciatur, quidque quaerat, utque hospitium ei detur postulat: nos autem ultro ei aditum cordis aperiamus eumque hilari vultu et laeto amplexemur!

Fateor equidem: hospitem hunc nunquam novimus, qui nunc primum mysterio quodam circumdatus venit; neque scimus num baculus, quem manibus gerit, e ligno balsama ferente compositus sit, an e prunis illis aerumnosis, quae lacrimas gignere solent atque miserias.

Eum attamen sincere accipiamus atque sereno animo: licet nondum noverimus quid nobis adferat, quid hinc? Novimus iamdiu eius patrem, qui superiore anno ad vitae nostrae iter sese adiunxit; novimus et alium ante ipsum praecedentem... Quin imo longam eamdemque integrum horum hospitum antiquorum seriem novimus, quos singulis annis dieque conducto, in via offendimus, ac tum inter fletus dileximus, tum in gaudiis; et in posterum diligemus.

Quid igitur nobis dicas? Libero prorsus ore loquere, hospes! Haud equidem ignoro te non omnibus neque semper eadem eademque ratione referre; omnes enim voces noscitas, omnesque species pro cuiuscumque aetate sapienter adsumere consuevisti; sive puerum adloqueris sive adolescentem, sive senem, et beatiorem, et derelictum omnibusque destitutum. At bonum, quae so, si potes, habeas sermonem, o Natalis senex atque

in aeternum iuvenis, qui nunc vivis victurusque es in saecula; bonum omnibus: laetis utique cum gaudio, moestis cum lacrimis: pectora nostra per te elata, certe iterum iterumque gaudebunt.

Quot enim gaudii germina in animis puerorum innocentium; quot benedictionum et consolationum dulcedines ponis in moerentium cordibus! Et hic sunt puerorum iuvenumque turmae, qui, veluti aves, adeptente vere, inter ramos florescentes alacres sunt vividioresque; illic senes tardiores cadentesque, malsilentiores ac prope consumpti, qui vel in ipsa corporis figura iam emori incipiunt, antequam pallida mors eos sub humum in aeternum recondat...

Eia ergo loquere, o anni huiusce Natalis, qui in ore veluti tuo ad ultimum omnium Natalium praeteritorum verbum repetis. Nonne enim vox tua haec semper est atque eadem sonat, quum primum adpareas: *Pax hominibus bonae voluntatis?*

Tu equidem pacem polliceris; quam qui non obtinet, frustra quaeritat ubi non est, citra virtutem, divinum auxilium, sanctamque voluntatem. *Pax! Pax!* Sed hic in terris pacem non invenis; quoniam ubique luctus et aegritudines. Neque pacem homines possidebunt, neque inter eundum invenient, quod ipsa minime inter mundanas semitas incedit, neque in eam utpote in saxum per viam offendere illi datur, qui unice profanis rebus inservit. Quid igitur...

Sinite Natalem dicere verbum boni ominis... Sed hanc etiam vocem, quae pariter undique sonat, non omnes illic melius aptiusque auscultabunt, quam ubi primum exaudita fuit, in puerili priorum annorum serenitate. Hanc ego volo utique audire, ac propterea ad montem pergo.

At, at... quid dicere praesumo? An opportune haec memorabo?

Vade, hodie potius dico, vel proponendum impero, vade procul a domesticiis laribus; vade, o Natalicia vox, inter militum agmina, et fatidico ore atque alaci omnibus qui in castris sunt proclama altius verbum tuum: *Pax! Pax! Pax!*

SUBALPINUS.

AD PRAESEPE DOMINI Pueri Munusculum

*O rosa mage delicate Iesu,
Qui vultu placidus venustulusque
His cunis teneros reponis artus
Fultus versicolore culicella,
Audire haud pueri abnuas querelas.
Mi natalitium benigna munus
Quotannis dare mater adsolebat,
Tua haec candida festa cum redirent.
Ornabant mihi cistulam placentae,
Pastilli, bona liba, candidique
Globi dulciculi, et meo palato
Si quid suarius elegantiusve est.
Quorum partem ego delicatiorem,
Tuli saepe libens tuas ad aras,
Et volens tibi propriam dicavi.
Hoc anno heu! tamen est mihi tibique
Sublatum male munus o Puelle.
Ex quo doctor enim mihi terendum
Malum pestiferum dedit libellum
Quem dicunt Cicerunculum vocari,
Culpor in studiis iners, et usque
His, viden? ferula est timenda palmis.
Verum nunc quid agam scio: libellum,
Tritum pestiferum malum libellum,
Discerpam manu utraque, debitusque
Tuos ante oculos vorabit ignis.
Sic mi supplicium dabit, tibique
Flammis calfaciet tenella membra,
Quae contracta hieme et gelu rigescunt.
Nec natalitium abstulisse munus
Posthaec, si sapiet, volet puellis.*

H. N.

De Romanorum disciplina

Populus Romanus, ubi primum superior exstitit inter Italos socios, omnes eorum civitates facile domuit, eo quod in suis institutis vim insitam salutis haberet, eam scilicet disciplinam, quae longe omnes repulit corporis voluptates, quibus regna vel floridissima cadere consueverunt. Cura ei maxima fuit, ut nobiles se se potissimum ab illis vitiis abstinerent, quae eos magis ad Barbarorum corruptionem traxissent atque universum reipublicae corpus foedare potuissent, voluptate scilicet omnis generis, aerisque pretiosi desiderio et superbia, quae se vel in omnium damnum extollere nituntur.

Roma enim barbara esse scivit, Barbarorum vitiis equidem positis; ac propterea populis humanioribus dominata est, qui ob vitia imbecilliores essent. Nondum tempus advenerat quo *Graecia capta ferum victorem cepit!* Antiqua Romanorum societas eorum praesertim religiosorum hominum imaginem referebat, quae postea in Christianis exstiterunt; in quibus florebant in primis bona disciplinarum exempla, ac mutua in moribus correptio, ut sic se se ab alieno veluti regimine reciperent, dummodo prohiberent ne sibi immōdice viverent, et in nonnullis operibus melius optimorum ingenio studium suum expromerent, abnegationem disciplinamque. Quamquam omnia quae dicere multis verbis consueverunt homines de Romanorum disciplina, ad paucula et nobilissima carmina redigi possunt, quae Horatius ad Pubem Romanam destinavit:

*Angustum, amice, pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condicat...*

iuvat tamen de ipsa cum industria consociata parumper disserere.

* * *

Roma antiqua eo maxime spectabat, ut omnis esset in patriciis, magisque cresceret bonorum exemplorum vis, atque iustitiorum, vigilantia ac mutua correptio; eadem rei familiaris conditio id postulabat et religio, rei publicae instituta, legumque severitas, durities quodammodo omnium, qua quisque leges adimplere iuberetur absque ulla misericordia, et semper, ita pater in filios, viri in uxores, patricii in patricios; familia prae ceteris, quae prima erat huiusce asperae disciplinae animorum schola, in qua nobiles romani vel a pueris instituerent superbiam cohibere atque vanitatem, se se submittere non equidem alieui (imperium enim unius mirum in modum in odium erat), sed legibus modo moribusque.

Et ut voluptatem refrenarent, mos erat, ut post pubertatem, ab omnibus se se abstinerent, quae vires, corpus infirmit, et ab illis potissimum vitiis, ad quae suopte ingenio trahebantur vel ex casu disciplinae. Pleraque romanorum familiae erant illa aetate veluti sacrum vetustissimorum Patriarcharum vestigium: parvula quodammodo imperia, quae nobilium respublica novorum temporum patiebatur, ut fulerum essent in quo magis auctoritas sua niteretur. Sic quisque vivere praesumebat ut rempublicam adiuvaret. Pater enim rex erat et summa cum potestate: ipse unice possidet, vendit, emit, vadet se dat; ei filius obedire ut servus tenetur, quamcumque sit aetate aut in honore; eum pater domo expellere potest, in servitatem redigere, ruri damnare, eumque

rebellem interficere, ipsumque cogere ad obedientiam vel si esset consul et mox legiones forte duxisset, ut modo parvulum, qui in domum paternam ingreditur. Iudex item erat familiae, uxoris, filiorum, nepotum, servorum, eosque vel capite damnabat ex lege ob crimina in rempublicam, in familiam, aliosque. Hac freti auctoritate, haud patiebantur iuvenes novis rebus studere. Hinc enim semper omnis corruptionis itemque pravi progressus origo; atque ut in sui formam liberos efficerent, studebant ut mares ad sobrietatem crescerent atque ad castitatem, ad laborem, ad pietatem, ad legum obedientiam, morumque sanctitatem, ad amorem erga patriam strenuum, eundemque firmum. Ad haec eos docebant prima de re agraria rudimenta ponere atque de familiari oeconomia.

Puellae sub hominis auctoritate adlescebant; primum patris, deinde viri, tutorum: nihil prorsus, ne dotem quidem, possidebant: ut essent obedientes docebantur, sobriae, castae, de rebus domesticis sollicitae in primis, et de liberis.

Filiis denique et filiabus tradebatur, ut mordicus rerum domesticarum institutionis adhaererent, ac veterum exemplis, omni posthabito rerum novarum usu. Vae! autem pertinacibus ac rebellantibus! Pater enim atque domesticum tribunal filium filiamque rigide puniisset, quoniam traditio patrumque exemplum duriter eos vivere docebat, ad id nempe vel a teneris unguiculis assuescebat. Adeo modice vivebant!

Sic altus educatusque puer romanus, labores militiae exercere, equos regere in usu habebat; adolescens adhuc, puerum in uxorem ducebat; quae si quidem parvulum dotem ferebat, ab ipsa multis suscipiebat filios; deinde tantum

adgrediebatur ac longum munerum curriculum, seque populo offerens ut ad publica officia eligeretur ex legibus atque institutis. Nemo autem suffragia populi senatusque adprobacionem obtentur esse sperabat, nisi legibus obsecutum promitteret; verum si romanus magistratus amplissima auctoritate polleret, si multos sibi haberet subiectos parentes, eumque omnes colerent ac revererentur, munus ipsum inter multos gerebat, idque sine dispendio atque ad tempus (in annum regulariter) quem ei semper collega adesset, suppari praeditus auctoritate atque potentia, eisque senatus praeerat. Atque adeo nemo violare poterat leges atque instituta, nisi ob gravem causam. Omnes identidem obedire debebant ut antea. Namque abdicatis muniberis ad reddendam rationem in ius vocari poterant. A nativitate usque ad mortem unusquisque sine intermissione explorabatur; et mortuo patre, quum et ipse filius domus regimen obtineret, in foro, in comitiis atque in senatu rigide a censoribus observabatur, qui eum infamia notassent si in honeste vixisset; a populo eum qui muniberis reipublicae indignum credidisset, a senatu atque a singulis civibus, fas erat in ius vocari.

Ob hanc potissimum patriciorum disciplinam, Roma illam rerum auctoritatem adepta est, ab Etruscis frustra conquisitam, omniaque imperia genere ac sermone diversa excelluit. Medio saeculo quinto primisque saeculi quarti annis ante Christum natum, Roma plures pugnavit cum populis latinis simul foederatis, adversus Aequos, Volscos, Etruscos, cum quibus in agro ita aucto quatuor recentes tribus constituit; sed in centenis millibus agri iugeribus foecundissimi complures colonias condidit,

in quibus multi equitum filii, ob agelli exigitatem paterni, iure novos milites Romae gignebat, uti cives atque novarum urbium rectores, qui ipsis atque Roma legibus viverent, praeter militiam cum legionibus romanis.

Roma, huiuscemodi victoriis cumulata, ne suis veluti manibus ad incitas deinde redigeretur, ad bellum instaurandum coacta usque ad finem saeculi quarti atque ad initium saeculi tertii contra Samnites, Etruscos, Sabinos, contra socios Latii ab ipsa rebellantes, et Gallos ad litus maris Adriaci, contra Pyrrhi exercitum a Tarentinis accitum, adiecit viginti septem millia stadiorum circiter quadratorum, universum Latium, partem Etruriae Orientalis atque Occidentalis, pleramque Umbriam, Picenum, Campaniam et Neapolim; ad municipia omnes civitates redegit, habitatores ad militiam atque ad tributum, excepto votorum iure, subigens; easque simul foedere coniunxit, ea tamen lege, ut haec civitates ac populi, legibus atque institutis sibi servatis, Romam milites missuros promitterent. In senatu erant qui, data occasione, eorum nomine rem haberent. Quo facto in universa Italia supremam potestatem adepta est.

Sed hoc studium in bellis serendis atque perpetua populorum accessio vi gere per saecula potuit, eo tantum modo quod Roma severam servavit morum sanctitatem ac nobilium constitutionem; uno verbo, donec societas mansit agriculta, patricia et militaris. Tellus enim in aevum pacifice minime manet, ab ipsa prima aetate, nisi per agrorum cultum, vel apud barbaras gentes; namque non qui armis est adeptus et sanguine, sed qui araverit diu manet tutiusque retinet; ille enimvero qui optime serit filiosque procreat.

Tot tantisque bellis satis non modo vi Roma crevit, sed mirum in modum opibus; respublica maioribus aucta divitiis, per omnem quoque Italiam agrorum patrimonium auxit, pascua, sylvas, quae partim aliis locavit vel concessit, partim sibi in futurum tenuit. Complures inter nobiles atque de plebe divites evaserunt, emendo servos atque agros, quos partim in frumentum convenit, partim in vineas et in olivas sive per servorum familias sub alicuius servicustodia, per operarios in diem conductos, a viciniore urbe ad eitos. Alii in agris publicis Italiae meridionalis illam primaevam pastoritiam exercebant, haud aliter atque hac nostra aetate apud *Texas* videtur in America septentrionali, vel in ceteris incolis illis regionibus; pastoritiam hue illuc vagantem innumerorum agnorum boumque, extra stabula, qui pascuntur omni tempore sub divo et dormiunt, atque adeo omni quoque hieme, atque aestate ab robustioribus vigilantibus ducuntur, qui tunc temporis erant servi, a monte in planitem, atque iterum a planite in montem.

Haec memorans Vergilius, quem Romanos laudibus egregie cumularet, suumque Augustum ad sidera efferret, qui sub imperio omnem late orbem terrarum subegerat, laudans, exclamat:

*Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
Hanc Remus et frater; sic fortis Etruria crevit.*

SENIOR.

Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.
Quid genus et proavos strepitis?
Si primordia vestra,
Auctoremque Deum spectes,
Nullus degener extat,
Ni vitiis peiora foveas
Proprium deserat ortum.

BOET., *De consol.*, III.

VETERA ET NOVA

De tormentis bellicis.

Quae de vocabulis ad hodierna tormenta bellica latine indicanda proposui (1), nonnullas animadversiones ad rem mihi procurarunt, quae mentionem repetunt antequam in argumento persequendo insistam.

Fuit igitur qui, nomen quodvis aliud repudians, omnis generis *cannones* voluerit «tormenta bellica» cum Vallaurio nominari. — Vallaurium veneror tamquam recentioris latinitatis lumen fulgentissimum; sed tamen in hac re minime possum ei assentiri. «Tormentum» enim generale, sive, si scholastico verbo uti malumus, genericum vocabulum est machinarum ad missilia quaevis fabricatarum. Habes sic apud Livium (xxiv, 34) Archimedem «inventorem et machinatorem bellicorum tormentorum» novi generis ab usitatis differentium; et apud Ciceronem (*Tusc.*, xxiv): «Ballistae lapidum et reliqua tormenta telorum eo graviore emissions habent, quo sunt contenta et adducta vehementius». Satis sint haec exempla — ut alia multa omittam, in quibus videre licuerit «tormentum» positum fuisse etiam pro ipso telo, quod machinis iaceretur — ut asseveratio nostra comprobetur. Itaque inter tormentorum bellicorum species et ballistae, a Cicerone, ut vidimus, in tormenta relatae, et catapultae adnumerari debent.

De quibus quidem notiones alias addere iuvabit, unde, mutatis scilicet mutandis quae res et tempora induixerunt,

(1) Cf. an. II, fasc. VII, p. 132 et seq.

(2) Lib. III, dial. II.

(3) Subdit opportune hic Lipsius (et quo

intimiores, ut ita dicam, catapultarum relationes cum giganteis illis *cannonibus* qui in hodiernis bellis adhibentur, circa magnitudinem, et scopum, et telorum effectus, patefiant. Ex Lipsii *Polioceticon* (2), qui fuse de catapultis scripsit, eas praesertim deducemus.

Notat siquidem ille auctor in Diodori xx libro de Rhodiorum apparatu contra Demetrium legi licere loca et sedes fabrefieri et aptari «ut in iis catapultae disponi possent. Haec talia loca et sedes iis idoneas Βελοστάσεις (Diodorus) appellat, quasi *stationes telorum aut tormentorum*».... Plutarchus refert, Archidamum, quum telum catapultarium vidisset, tunc primum e Sicilia allatum, dixisse: «*"Ωλέτο ἀρετά* (Perit virtus). Magnam enim consternationem hoc telum in novitate habebat, et nulla ei virtus visa resistendo...» (3) Sed tunc igitur Siculis aut reperta, aut agnita: *et non uno etiam modo structa*. Fuerunt enim, ut in Livio observare supra potuistis, maiores minoresque catapultae: illae quae telum fere trium cubitorum emitterent; istae quae dimidiatum. Ita enim observo, et in Appiani Libyco scriptum, quum Scipio Uticam oppugnaret, tormentis emisisse tricubitalia tela, et lapides magnos. Polybius item, libro v, narrat, Hieronem et Gelonem reges misisse Rhodiis quinquaginta catapultas tricubitales. Non quod totius machinae modus talis, sed quod eius tela. In Festo sane ita lego: Trifax, telum longitudinis trium cubitorum, quod catapulta mittitur. Respondet plane huic modulo, quod minores catapultas feci dimidiatas. Quid enim hoc aliud sit, quod Diodorus

potiore iure si nunc viveret!): «Quid autem dixissent, si nostra haec fulminantia vidissent, et vere Cyclopum tela?».

aliquoties nominat et distinguit trispithamas catapultas? Sicut libro xx in apparatu Demetrii: Praeire iussit longas naves, quae in proris haberent catapultas trium spithamarum ». Et sic deinceps, quae brevitatis causa omittimus, id unum cum ipso Lipsio addentes, trium spithamarum mensuram parem esse triginta sex digitorum.

Si denique catapulta processu temporis, ut alias adnotavimus, cum ballista confusa est nomenque machinae indiscriminatim adhibitum, res tamen distincta mansit; non aliter ac nomine *cannone* machina etiam quae proprie *mitragliatrice* est, vulgo hodie nuncupatur; itemque nitratus pulvis *ballistites* in utriusque bellici tormenti incendio nunc adhibetur.

* *

Venio ad aliud quod mihi obiectum est. Fuit scilicet qui rogavit: «Eccur vocem *canno*, *onis* in latinum sermonem non inducemus? Nego quod scribebas (1), accretionis et amplificationis notas, quibus in hodiernis sermonibus utimur (huiusmodi enim *cannone*) latine non reperiri. Quinimo ex clausula *on* componebantur, uti a *nas-us*, *naso*, *onis*; a *frons*, (rad. *front*), *fronto*, *onis*; a *caput*, (rad. *capit*), *capito*, *onis* ». — Scio equidem, imo etiam ex mea parte addo *mentonem*, *bibonem*, *edonem*, *gulonem*, *erronem*, *palponem*, *furconem*, *aleonem*, *helluonem*. Sed quis non videt verba haec aliaque eiusdem formae non tantum notam accretionis exhibere, sed etiam contemptus et mutationis in deterius? Atqui non invenio cur haec nota peculiaris tali bellico tormento, quod ab ea omnino refutgit, adici debeat et queat. Insuper

*licuit semperque licabit
Signatum praesente nota producere nomen
tum solum, quum*

*forte necesse est
Indicis monstra recentibus abdita rerum;
atque tamen*

dabitur licentia sumpta pudenter.

Ecquid igitur novum, neque in compositione sua vi rei proferendae apprime respondens, vocabulum creabimus, quum, uti vidimus, rem ipsam et melius significare nobis detur verbis iam tot saeculis in lexicon relatis? Huiusmodi enim sunt vocabula, quibus et tormenta hodierna bellica denotare possimus: *catapulta* et *ballista*, de quibus iam satis superque disputavimus; praeterea *mortarium* et *obiex* sive *obex*, quibuscum explentur praecipua quatuor tormentorum genera horrenda, in bello nostris diebus contra hostes admota.

Sed iam currenti calamo limites excessimus nobis adsignatos: nomenclatura igitur nostrae continuationem ad alium numerum delegamus.

I. F.

DE DIVINI NUMINIS REPRÆSENTATIONE IN CHRISTIANA ARTE


Nullum est dubium quin Christi religio intimam artis naturam instaurans, hinc pulcrum redintegraverit, hinc gradus, ut ita dicam, refecerit formae illius eximiae, quae in artificiis cuiusque mente insidet, quamque ille intuens et in ea defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigit. Artis autem opus quodvis eo est nobilius atque perfectius, quo clarior appareat, magisque ad summam tendere per formam, quam artificis ani-

mus in sese habet comprehensam, ex que materia translucet veluti ex corpore animus.

Atqui forma prima a christiana arte renovata divinum attigit numen, quod e sensuum nuda repræsentatione exuere ipsa contendit. Certe, divinum numen sub sensuum apprehensionem et sub ingenii motum minime cedens, artis pulcritudine honestari nequit, nisi per humanas figuram redditum; sed in his imaginibus effigendis scopulus invenitur, in quem antiqui cultus, Iudaico excepto, offenderunt. In huiusmodi enim repræsentatione divinae et humanae res commixtae et confusae sunt; atque humana, eaque vel infimi ordinis, praestiterunt. Inde «anthropomorphismus», «emanatismus», «pantheismus». Ex adverso christiana ars immaculatum semper, distinctum et ab humanis seiunctum numen divinum servare sategit; quod igitur, licet corporeas formas induxit, nihil corporei ac sensibilis praebet. Scilicet ex humano adspectu ineffabilis illa pulcritudo in christiana arte transfulget, quae dum mentem delectatur, non commutabilis divini numinis vim et sensum designat, in ipsam mentem infusa.

Egregia haec et singularis artis forma praecipue ostendit in reddenda Christi figura, quam quis cum Iovis vel longissime comparare

unquam praesumpserit? Post hanc, immenso intervallo ab ethnicorum arte dividitur eximia mulieris forma, in qua



DEIPARAE IMAGO a BARABINO effecta,
quaque vulgo «a punico malo» nuncupatur.


divina materna dignitas cum virgineo privilegio mirifice consociatur, tantum-

(1) Loc. cit., p. 134.

que floret quantum in antiquis praeclaris operibus, nendum circa eam elegan-iae quidquam infuit, sed ne cogitari quidem potuit.

Longum est Deiparae puleritudinem repete-re apud ingenuarum artium aucto-res effectam, unde christiana mulie-ris, virginis, consortis, matris exemplar creatum est, omnibus quae proposita unquam fuerint gratia et suavitate quam maxime antecellens, quodque singulare, unicu-m, immutatum ad nostros usque dies mansit, quemadmodum testimonium perhibet Barabini, pictoris Italici inter recentiores, tabula, qua, speciminis gra-tia, hodie nostras paginas exornamus.

X.



IOANNES CAGLIERO SACRA PURPURA HONESTATUS

Inter recentes Patres purpuratos, quos nuperime eligere placuit Benedicto XV P. M., immensa animi consolatione atque voluptate, adnumerari video Ioannem Cagliero, Archiepiscopum Sebastis eundemque Delegatum apud Americanas illas resplicas, quas medias adpellant. Eum vel a teneris unguiculis novi, eiusque amicitia perpetuo devinctus, ita ipse me semper non modo amavit sed dilexit, ut ex eo tempore eum in oculis ferrem.

Castrinovi in Astensis humili loco natus est anno elapsi saeculi millesimo octingentesimo octavo ac trigesimo. Parvulus hic vicus est sane omnium admiratione, ac prope dixerim invidiam, dignus, quod hac nostra potissimum aetate magnorum virorum foetum ediderit, qui de ingenii praestantia ac no-

bilitate cum omnibus Italiae civitatibus contendere possit. Illic enim in lucem editus est Iosephus Cafasso, sacerdos virtutibus admirandus clericu subal-pini summus magister, qui primus apud nos Sancti Alfonsi sapientiam uberior audentiusque tractavit. Mox I. B. Ber-tagna, Archiepiscopus Hadrianopolita-nus, eius in schola doctrinaeque succe-sor; et pae cunctis altissimaque gloria dignissimus, Ioannes Bosco.

Ioannes Cagliero Augustae Taurino-rum altus est atque educatus sub di-sciplina ipsius Ioannis Bosco, tunc prima aedium fundamenta ponentis, quae mox in immensem auctae ac prolatae pueris alendis educandisque, vulgo appellantur: *L'Oratorio di S. Francesco di Sales.* Latinas litteras et graecas sub privato magisterio arripuit, et subito sibi no-men inter condiscipulos, alacritate inge-nii et quadam disserendi facilitate ac facundia, nec non et ipsa corporis forma comparavit, qui eum iocose itemque iucunde adpellabamus: *Il piccolo Cavour.* Hic enim clarissimus vir tunc primum inclarescebat, atque omnia auctoritate sua gerebantur, et cum ipso quicunque aliqua ingenii ratione atque alacritate floresceret, per honorem componebatur. Neque nos eventus fefellit. Quum ipse enim experecto ingenio esset multisque virtutibus praeditus, sub disciplina clari-ssimorum doctorum primum in philo-sophiam animum intendit, mox alacriori studio theologicas artes ita coluit, ut in Maximo Taurinensi Archigymnasio omnibus suffragiis suprema laurea redimiri dignaretur.

Hic nec tempus est, neque locus di-cendi quae esset tunc temporis apud subalpinos ars musices, et illa in pri-mis, quae ad divinum cultum in tem-plis inter solemnia pertineret. Ioannes

Bosco, qui eo tempore illuc in omnibus spectabat, ut quidquid decori esset aut auxilio rebus divinis, quibus unice stu-debat, Caglieri sui ingenio ad musicam excolendam cognito, discipulum excita-vit, ut quid temporis ei superesset a graviorum rerum studio, musicae daret. Sic optime currenti calcaria addita fue-runt.

Et ni pessima omnino fuisset musi-corum schola, qui in nobis florescebat, haud parvulos nec poenitendos fructus retulisset. Mirum sane quod ipse tot aliis tamque diversis occupationibus di-stentus ac poene obrutus, brevi tempore tot opera in vulgus ediderit, quaeque passim in iuvenilibus theatris, in aca-demiis atque in templis incredibili ani-morum laetitia ac cupiditate exaudiren-tur! At vix fuit suprema auctoritate caustum ut in templis nihil nisi sanctum, castum devotumque a musicis proferre-tur, ipse sponte atque omnium admira-tione opera sua retinuit, et ne in po-sterum alii, ipso invito, exequerentur prohibuit. Quoniam ipse ab hominum laudibus abhorrebat, nec unquam ipsi esset imputandum quod Ovidius de se scripsit:

... tituli tangebar amore,
quaerendique mihi nominis ardor erat.

Sed maiorem itemque sanctiorem sibi laudem adquisivit in sacris apud exteros populos expeditionibus, et pae ceteris apud *Patagones*, quos ipse primus ad re-ligionem vocavit atque ad humanitatem traduxit. Ne sim nimius in eius laudibus ferendis, at simul in medium proferam brevi pro viribus spatio quae maiora possim, hoc unum addam, immensam illam Americae Meridionalis regionem, quae a mari atlantico pertinet ad mon-te-s qui rempublicam quam dicunt Ar-gentinam dividunt, multis adhuc popu-

lis immitibus ac ferocioribus moribus habitam, ab ipso cum suis coli coeptam esse atque ad religionem perduci. Multis sequentibus annis tot atque incre-dibilia vitae incommoda, tum propter itinerum difficultatem, tum propter homi-num feritatem, hilari animo pro reli-gione pertulit, eaque perseverantia ac tenacitate, ut sensim sine sensu homines pietatem curarent, agros colerent, legi-busque christianis exornarentur. Annis denique fractus, non animarum deside-rio demisso, dum aliis Salesianis rem in aevum colendam relinquit, voluntate Pii X P. M. Romam primum vocatus, postea in legationem missus apud Ci-vitates americanas medias, iuvenili ar-dore provinciam exornare coepit. At quum egregiam operam illic navaret, atque optime niteretur ut religio incolu-mis servaretur, Romana purpura decora-tur... Si haec sublimis eademque subito honoris dignitas bonorum illorum spes intercepit, semen, quod agricola soller-tissimus acriter atque ingeniose posuit, aliquando egregios pietatis fructus pro-feret. Quod faxit Deus!

Tibi autem, Eminentissime Pater, omnia fausta a Domino auspicor, atque ut diu feliciterque inter tuos vivere pos-sis enixe ac perpetuis precibus Virgi-nem ambo. Vive! Vive!

I. B. FRANCESIA.

ANNALES

Europaeum bellum.

Balkanica regio et in superiore Novembri mense sollicitos omnium animos retinuit, non solum ob eventuum belli-corum processum, qui illie praecipue

facti sunt, verum etiam per agendi cursum a Graecia habitum, hinc Teutonibus urgentibus ut a medio in suum favorem declinaret; non minus hinc Anglis Galisque instantibus, ut studium neutrarum partium a Zaimis, et qui paucos post dies ei successit Skouloudis administrationum collegii praeside, iterum iterumque praedicatum, non verbis tantum, sed re aliqua demonstraretur. Res eo cesserunt, ut iam de navalii Graeciae circumcessione opponenda apud Anglos sermo esset; quinimo et impeditae quoque sunt Graeciae naves onerariae quominus ab Anglicis portibus proficiserentur. Timebant inter cetera Anglogallici de agminum suorum sorte ad Thessaloniam, uti in superiore fasciculo narravimus eductorum, ut in auxilium Serborum venirent. Sed faciem ad serenam mutatus est paulatim dies; nunciatur enim tandem est, res cum Anglogallorum gratia fuisse compositas; idque tranquillitatem quamdam animis reddidit, licet initiae conventionis termini in occulto manserint.

Sed gravior, dum scribimus, fama vagatur, Anglogallorum scilicet exercitum, quum impossibile iam sibi videatur Serbis subvenire, loco cedere debere. Actum esse igitur de Serbia profitendum est atque de ipsa, nunc saltem, desperandum, quamquam eius defensio contra hostium numerum longe maiorem heroica fuit. Ne singula oppida et loca numeremus acriter diuque concertata et perdita, Nisch urbem commemoremus, in quam regni caput, post Belogradum captum, fuerat translatum, et Bulgari ingressi sunt. Qui deinde Babunae montibus potiti, Tetovo descendentes, per Prilep ad Monastir urbem contendunt, unde pariter Serbi coacti sunt positam ibi gubernii sedem distrahere, Seodramque in Albaniam traducere. Germani au-

tem Pristinam occuparunt; Mitrovitzam Austri, qui nunc et Nigri Montis regno etiam minitantur.

Contra Austriacorum huiusmodi successus stant clades ab Italib*i*s inflatae. Qui offensionem suam in Carsica provincia et per Sontii oras praesertim persequentes, validissima munimenta praeripiunt, aspermos montes vel inter nives glaciesque superant, valla occupant, septa incredibili audacia interrumunt. Memoranda, praeter alias, victoria exstitit ad Lanae qui dicitur collem, ab iis fere per menses quatuor obsessum. Cuius expugnatio coepit ex aggeribus in utroque labro montis altiore ac munitiore positis; in transversa latera deinde nostri incurrebant, hinc ad Plebem de Livinallongo, inde ad Livine; operaque sua accedentes, gradum ad fastigium, hostili quamquam ballistarum igne horrendum in modum adversante, intrepide sibi faciebant. Die decima nona mensis Octobris, obvolvens Italorum acies Sief usque pervenerat; sequenti hebdomada ultima propugnacula effringebantur, Austrorumque receptus fortissimus, ad duo millia passuum et ducentos supra mari, animoso incursu denique a nostris tenebatur. Hostes recuperare locum non inferiori virtute conati sunt; sed tamen quum praesidiis firmissimis eum nostri devinxissent, deserere debuerunt, seque ad Settass montem recipere, altiorem profecto, sed Italorum tormentis non impervium, qui Striae saxum et parvum Lagazuvi circum, in Falzaregi regione, possident. Nunc ut Goritiam urbem ditionis suaे tandem faciant Italica arma propius intendunt; quod iam obtinuisse in proxima eventuum recensione nostra enunciari posse speramus.

Post haec tam bene in Austriacos gesta, haud mirum apparet, ipsos illa,

cui iam nos assueverunt, communis hominum sensu carente sua arte, omne virus acerbatis in inermes innocentesque homines iterum iterumque evomere voluisse. Iam vero non quidem in terra, — Veronae nempe, Brixiae, Belluni, quas urbes incendiariis solidibus a velivolis demissis petierunt, — sese continuere, sed facinora sua usque ad mare protulerunt, ubi, piratarum more, vectorias naves tres cum pacificis civibus, neque iis ex Italia tantum emigrantibus in exteris terras, subaqueis lintribus demerserunt.

In Russia ad Riga sinum et iuxta Strypa flumen decentatum est vario exitu: videntur tamen Russi non uno in loco hostes pervertere valuisse; pyloclastris autem Curlandiae litora, quae in Teutonum possessione sunt, pessumderunt.

Galli denique in reluctancee sua, tum circa Cathelauniae regionem, tum in Mesnil, Artois, Loos, Andechy, Argonne plagis, et ad Ammestvilles Alsatinam provinciam et in Vogesis montibus, non sine favorabili exitu perstiterunt.

* *

Motus in Sinis ad regiam potestatem redintegrarendam, de quo in superiore fasciculo mentionem fecimus, amplificatur; non vero sine sanguinis effusione. Shanghai enim ipse urbis praefectus navalis, studium suum erga futurum regimen capitatis pretio persolvit.

In Iaponia contra, Imperator (Mikadum nuncupant) inter totius populi ovantis et gratulantis laetitiam sollemni ritu coronatus est.

Kalendis Decembribus MCMXV.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Si insolito laetitiae vultu Natalis Dominici dies salutabamus, non eodem profecto eos, inter bellum fragores, et hoc anno accipiemus. Procul igitur a nobis, qui in luctu et sanguine versamur, fastus quisque tripudii; procul etiam domestici illi usus, poëtico quadam flamme iam lares decorantes. Animus vero, quamquam moestitia perfusus, quasi naturali vi spirabiles magis auras quaeritat, quaeque inter suos haud reperit, inter alios libenter persequitur. Itaque et nos suaves populi nostri **Natalicias consuetudines ac traditiones** omittentes, ad aliarum gentium transgrediemur, quibus in hac omnium rerum convulsione aliqua tranquillitate frui licet.

In Helvetia fama satis evulgata est, qua nocte Christi Nativitas commemoratur, arbores omnes in florem ex improviso sese induere.

In quibusdam nordicis civitatibus, Natalicia nocte, sive etiam qua nocte novus annus ingreditur, horoscopatur. Id bifariam plerumque agi inveni: sive Bibliam sacram fortuito aperiendo ex que versiculo, in quem oculi primum incident, auspicium trahendo, sive per liquati plumbi in aquam immissi figuram. Scilicet familia omnis circum mensam coadunatur, in cuius medio pelvis est cum frigida aqua. In cochleare plumbi frustulo immisso, quisque ad lampadis flammatum hoc liquat, iacitque subito in aquam. Plumbum repente sese condensans ridiculas formas induit, quas mens cum omnis generis figuris compnit, indeque hariolatur.

In Hispania, ac praesertim Barcino-ne, « pavonis ritus » est in usu, qui inde a media quae dicitur aetate repetitur.

Die enim Christi natali, pavo, tamquam avis nobilis habitus cibusque exquisitus, in dynastarum mensam mittebatur, magno caeremoniarum cultu, existimationem qua pullum prosequerentur illum apprime testante. Eo die matronae, castelli dominae, erat hoc ferculum ministrale convivis, qui omnes assurgebant, quum illa triclinium ingressa magna puerorum armigerorumque comitante catarva, illud in aureo lebete ad virum suum vel hospitem illustrem deferebat. Tum vir ad huiusmodi honorem delectus pavonem in tot partes scindebat quot singulis adstantibus pares essent, qui omnes porrecto ad obsonium brachio, iureiurando se suamque fidem alte obstringebant, vividiorem dexteram suam praestituros sive ad lauream alicuius troiani certaminis assequendam, sive ut perpetuam suam erga regem, atque etiam erga inopes voluntatem nobili aliquo facinore demonstrarent.

O magnum antiquorum equitum animum! Nunc fortasse ad aulicam quamquam mensam vir aliquis equestri cuidam ordini adscriptus iuraverit, se ingenii aciem exacuturum quo novam rationem sit inventurus vectorias naves cum inermibus viatoribus in mare demergendi, vel nudae praesidio urbis miseros incolas igniferis tormentis abunde metendi!...

**

De aviatione satis superque in nostro commentario tractavimus; quasi corollarium hodie nomina edicemus, quae machinis ad rem adhibitis publica auctoritate apud nos recens dedicata sunt.

Placuit igitur quamvis machinam in aërem sese tollentem, aëre ipso gravorem, *velivolum* generaliter appellari. *Aëroplanum* eae dicuntur, quae e terra egredi et in terram tantum demitti pos-

sunt; *hydrovolans* contra quae unice ex aqua attolli et in aquam descendere. Quod si machinae huiusmodi, navigationi praesertim destinatae, partim solum levantur, *hydroplani* nonine designantur. *Hydroaëroplanum* denique vocantur machinae, quibus identidem ex terra et aqua proficisci liceat, atque in terram et aquam descendere.

**

Locosa.

Tuccius de geographicis scientia periculum facit.

— Nomines mihi animalium genera quinque, quae in arcticis terris vivant.

Alacer Tuccius:

— Albi ursi tres; marini vituli duo.

**

Aenigmata.

I.

Lucem pello, fero tenebras. Si littera paulum ultima mutatur, vestio rite pedem.

II.

Ardeo (sic fateor); flammis mea viscera flagrant: Sint testes oculi, me reticente, faces.

Suffero tartareas poenas; quid vota peroptant?

Haec rigidos cupiunt igne fovere sinus.

Noctis amica quies surgit; cor sentit, et ignes

Quod plunias inter sopiat illa reos.

Me breve vix tenuit lina inter candida tempus,

O deus, affer opem, quam mihi nulla quies!

Emersum linis me tellus excipit ulnis;

In rigido sterno flammea membra solo.

Corripit interea dominum iucunda voluptas,

Cui famulare placet munus in aere meum.

Crudelis mihi blanditur suadetque laborem,

Admota leviter laeditur inde manu.

Afficitur rabie subito, rapiturque dolore,

Mox removente pedem; stridor ad astra volat.

(Aenigmata in superiori fasciculo proposita his respondent: 1] *Cor-nix*; 2] *Age-si-laus*).

IOSFOR.

ROMA SACRA

Acta Benedicti XV P. M.

Pontificiae litterae ad Helvetiae Episcopos, quibus praesens rerum status lugetur et Helvetiae ad eum sublevandum sollicitudo laudatur.

Venerabiles Fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Officiosissimis litteris, quas congregati numer per ad Nos dedistis, ad ea profecto revocamus a quibus vix possumus, vel brevi, avelli animo. Cum afflictis affligimur, eorumque caussa et premimur curis et fatigamur laboribus et in anxia sollicitudine dies noctesque versamur. Quaecumque ad restaurandam pacem minuendaque belli incomoda caritas suadet diesque offert, ea experienda, ut probe nostis, aggredimur, plurimum in Eo confisi, qui bona semper adiuvat consilia.

Non semel Nos, venerabiles Fratres, neque sane inviti, in tanto armorum strepitu ad Helvetiae populos animum convertimus planeque nobiscum sentimus atque intelligimus quantum ob servatae pacis beneficia divinae primum benignitati, tum etiam prudentiae magistratum suorum Helvetii debeant. Quod vero scribitis, ingenti vos cum gudio conspicere Reipublicae vestræ moderatores solertiae Nostræ Nostrique laboris socios, valdeque desiderare ut societas haec magis magisque in dies firmetur, agnoscimus quanti sint apud vos et apud cives vestros consilia et coepita paternæ providentiae Nostræ quantoque in honore studia humanitatis: libetque profiteri gaudium vestrum gaudium nostrum esse: vota vestræ, vota Nostra.

Vestrum interim animum plenum obsequii in Nos atque in Viros egregios, qui vestræ praesunt civitatibus merito collaudantes, vobis omnibus, venerabiles Fratres, Clero populoque unicuique vestrum tradito apostolicam benedictionem, cœlestium auxilium munerum, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die xvii mens. Augusti MCMXV, Pontificatus Nostræ anno primo. — BENEDICTUS PP. XV.

Sacrum Consistorium.

Die vi mens. Decembris MCMXV in Va-

ticanis aedibus Sacrum Consistorium a Benedicto XV P. M. habitum est, in quo inter Patres Purpuratos relati sunt:

IULIUS TONTI, Archiepiscopus tit. Ayan-

ran., Nuntius Apostolicus apud Lusitanos;

ALFONSUS M. MISTRANGELO, Archiepisco-

pus Florentinus;

IOANNES CAGLIERO, Archiepiscopus tit. Sebastei., Legatus Apostolicus apud civi-

tates Costaricensem, Nicaraguam et Hon-

duranam;

ANDREAS FRÜHWIRTH, Archiepiscopus tit. Heraciensis., Nuntius Apostolicus in Bavaria;

RAPHAEL SCAPINELLI DE LEGUIGNO, Ar-

chiepiscopus tit. Laodicen., Nuntius Apo-

stolicus in Imperio Austro-Hungarico;

GEORGIUS GUSMINI, Archiepiscopus Bononiensis.

(Allocutionem a Summo Pontifice in eodem Consistorio habitam, spatio hodie deficiente, in proximo fasciculo referemus).

Ex S. Congregatione Consistoriali.

De competencia circa facultatem concedendi Religiosis paroecias saeculares.

Facultas concedendi Religiosis paroecias saeculares spectat ad S. Congregationem Concilii, firma tamen obligatione pro Ordinibus et Congregationibus religiosis obtinendi a S. C. de Religiosis necessariam facultatem vel dispensationem, si ipsorum constitutiones et regulæ eis prohibeant paroecias retinere et regere.

(Ex decr. d. v mens. Iulii MCMXV).

Vita functi viri clariores.

Die xv mens. Septembris in suo rure ad S. Miniati in Hetruria, Purpuratus Pater **Benedictus Lorenzelli**, S. Congregationis Studiorum Praefectus. Natus erat in oppido *Badi* archidiaecesis Bononiensis die xi mens. Maii MDCCCLIII et in Sacrum Senatum cooptatus d. xv mens. Aprilis MCMVII.

Die xxvii mens. Novembris, Purpuratus Pater **Franciscus Bauer**, Archiepiscopus Olo-

moucensis., Hrachovec in civitate natus d. xxvi

mens. Ianuarii MDCCXLII, in Sacrum Se-

natum cooptatus d. xxvii mens. Novem-

bris MCMXI.

Idem (T. C.)	pag. 182
Maxima debetur puero reverentia (<i>Subalpinus</i>)	" 130
Quomodo rei militaris studium ad hodiernos mores pertineat (<i>Paci- ficus</i>)	" 145
De studio neutrarum partium in bello (T. C.)	" 202
Philosophia ac Theologia.	
Salomonius Reinach contra syno- ptica Evangelia (<i>R. Fei</i>)	pag. 47
Roma Sacra.	
Acta Benedicti XV P. M.	
pag. 17, 39, 57, 99, 120, 140, 158, 178, 198, 217	
Oratio ad Deum qua finis bello- rum pacisque redditus imploretur (L. r. I. <i>Tasset</i>)	pag. 120
Sacrae Congregationes :	
Decreta iam alias edita tempore belli, quae omnino adhuc videntur	160
Sacra Congregatio Concilii. — Ius funerandi circa Capellanos Ca- strenses	" 159
Sacra Congregatio Consistorialis. De vetitis nobilitatis familiaris titulis et signis in Episcoporum inscriptionibus et insignibus, vul- go "armis"	" 100
Decreta de parochis et paroecis pag. 159, 217	
Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum — De Sacra Sy- naxi et de celebratione Missae in castris	pag. 58
Facultas adservandi SS. Eucharist. in stativis castrorum valetudinariis atque in bellicis navibus . .	" 159
Sacra Congregatio Indicis. — Libri prohibiti	" 100
Sacra Congregatio pro Negotiis Ec- clesiasticis Extraordinariis. — Pro captiuis saevientis nunc Eu- ropae belli	" 18
Sacra Congregatio Rituum. — De festis localibus quae a Religiosis recoli debeant. — De orationibus servos Dei cum sanctitatis fama defunctis respicientibus	" 40
De insuetis cultus titulis pro Ec- clesiis et sacris imaginibus non adhibendis	58
De syllabis hypermetricis quoad cantum	" 140
De imaginibus Beatorum publicae venerationi expositiis	" 159
Sacra Congregatio Studiorum. — Academias Romanae S. Thomae Aquinatis statuta retractata . .	" 78
Sacra Poenitentiaria Apostolica. — De militibus ad proelium vocatis De sacerdotibus non Capellanis ad exercitum pertinentibus, circa fa- cultatem excipiendi fidelium con- fessiones durante bello	" 58
	" 79

De militibus in statu bellicae con- vocationis	pag. 140
Pontificia Commissione de Re Biblio- ca. — Dubia de "Parousia"	" 160
Vita funeti viri clariores	pag. 100, 217
Vacui temporis hora.	
Nomnulla de chronologia	pag. 14
Iocosa pag. 16, 38, 55, 76, 97, 139, 158, 177, 198, 216	
Aenigmata, pag. 16, 38, 56, 76, 97, 118, 139, 158, 177, 198, 216	
Cibaria argumenta, pag. 37, 38, 54, 55, 74, 95, 96, 138, 176, 196	
(Vide etiam <i>Vetera et nova</i>).	
Quam longissime proeliorum fra- gor audiatur	pag. 75
De subaqueis litoribus	" 75
De solidata charta	" 96
Musicotherapia	" 116
Cardiographum atque pneumogra- phum	" 117
Narratiuncula de Vincentio Bellinio	" 117
Homarano	" 137
De heliotherapyia	" 138
Musices et bellum	" 157
Loquela lampadi eletrica virtute incandescenti inducere	" 176
Cursus sellularius	" 177
De cane venatico	" 197
De terra primo Europaei belli anno in vallis effossa	" 197
Consuetudines et traditiones Nata- liae	" 215
Varia.	
De aviatione (<i>Subalpinus</i>)	pag. 7, 27, 216
Solatia in adversis. (<i>G. Tibauts</i>)	9
Pacis monumentum in Andinus mon- tibus (<i>P. Ardizzone</i>)	" 34
Bellicae calamitates (Ex historiis <i>I. C. Cordara</i>)	" 56
Franciscus Xaverius Reuss in certa- mine poetico Hoefftiano anni MCMXIV victor renunciatus (<i>Al- ma Roma</i>)	" 61
Castrenses epistolae (<i>L. Wagenheim</i> - <i>E. Baudry</i>)	" 70
Pyloclastrum sive Pettardum (<i>E. Famiano Strada</i>)	" 77
Iosephus Fornari, "Almae Romae" Moderator, Eques Torquatus Gre- gorianus renunciatus	" 101
"Semper dum vivam tui meminero" varii dicendi modus. (Ex elegan- tiis <i>A. Manutii Iun.</i>)	" 118, 173
De piorum hominum Societate, cui nomen a Cruce Rubra. (<i>I. B. F.</i>)	
	pag. 166, 185
De Timavo (<i>Subalpinus</i>)	" 189
Ioannes Cagliero, Sacra Purpura honestatus (<i>I. B. Francesia</i>)	" 212
Vetera et nova.	
De "Globulis", vulgo "Gnocchi", (<i>I. Bonavenia</i>)	pag. 12
De tormentis bellicis (<i>I. F.</i>)	pag. 132, 209

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mit-
tendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ☯ ☯

Sociis et Lectoribus

Commentarii nostri humanissimis.

Si ad novi anni portas, quae quidem stridenti cardine diraeque ferro et compagibus arctis panduntur, haerentes animo paullisper consistimus, spatium tamen praeteriti temporis respicientes, causam profecto non invenimus eur studio ac voluntate a re, quam tantopere persequimur, abhorreamus novumque agonem fidentes alacrique animo ingredi dubitemus. Dum enim tot incopta vel nobilissima Martis furore absumpta sunt, tot voces silere, tot sententiae a proposito aber-
rare et deflectere debuerunt, vivimus tamen nos; imo etiam agmen nostrum, si hinc abscissum, inde tamen videmus non minus vicissim constitutum. Quum scilicet belli acerrima haec contentio, quae strage ruinaque sua latissime Euro-
pam pervadit, commercia dirimit, amicos in hostes convertit, socios non paucos a nobis separavit, ad quos usque pervenire iam aliquot menses vetti sumus, en alii aliunde in eorum locum succedunt, lances aequato examine sustinere nobis concedentes, parique pondere praesto esse ad praesidium. Non ii sumus qui id laboris nostri, quem sentimus quam sit exiguis, quasi effectum et praemium nobis vindicemus; imo vero ex Aliae Matris aeterna fascinatione omnino repetimus; ex virtute, inquam, per quam in uno eodemque materno illius eloquio eor unum tandem et animam unam pulsare identidem omnes agnoscent, qui in tanto rerum discrimine, in infensissima mentium discrepantia, in nefariis sensibus inclusae invidiae tam multa profusione, benevolam saltem vocem audire diuturno desiderio flagrant, in eaque refici. Quae ut propria quam plurimis evadat ac perennis, id pro viribus, qualescumque eae fuerint, nos et volumus et optamus; quin etiam satagemus.

Si quis itaque a nobis quaerat qua peculiari ratione rem simus per annum hunc MCMXVI exequuturi, facile respondebimus: « In ea persistemus, quam probatam sociis et antiquis et recentibus accepimus; et alias pervestigabimus, quibus, unitatem cum varietate connectentes, commentarium hunc nostrum acceptum magis et utilem faciamus in dies ».

Inter haec spectandum quoque et singulariter nobis visum est ad adolescentes, nimirum ut futurae aetatis hanc spem et ornamentum in viam nostram adducere